



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regula Sancti Patris Benedicti

Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>

Moguntiae, 1604

XXVI. De epistolis dirigendis, & loco Capituli eligendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

ra scribendo, & aliis negotiis vtatur. Sit gra-
uis & ipse Monachus, industrius, probitate-
que & ingenio conspicuus: qui etiam eius vi-
ces, si quando eum abesse contigerit, sine
Cōgregationis incommodo gerere possit. In
eo autem officio, si ipse Procurator rectè ad-
ministrauerit, per quinquennium ad minus
perseueret: quo elapso in Prælatum promo-
ueri possit.

*De Epistolis dirigendis, & loco Capituli eli-
gendo. CAP. XXVI.*

EX PEDITIS omnibus, ante tamen Ca-
pituli absolutionem, si quæ responsiuæ
vel missiuæ conficiendæ sunt literæ, impona-
tur Cancellario, quæque & quibus scriben-
dæ sunt personis. Quas litteras Diffinitores
diligenter videât: & si quas iudicauerint me-
moriam dignas registrari faciant.

2. Consequenter pro futuro Capitulo cele-
brando idoneus in aliquo Congregationis
nostræ Monasterio locus eligatur. Declara-
mus autem Monasteria pro celebrando Ca-
pitulo hæc esse. Videlicet, Monasterium S.
Benedicti Mantuani Prataleæ, S. Ioannis Eu-
angelistæ Parmæ, & Sæcti Petri Perusii: quã-
do canque tamen hoc Monasterium Perusii
ira fuerit accommodatum, & taliter quod
Capitulum Generale commodè & religiosè
recipere possit: Hac tamen apposita condi-
tione,

tione, quod in nullo horum Monasteriorum possit ipsum Capitulum amplius quam biennium continuum celebrari.

3. Qui locus sic electus, nisi ex rationabili causa, & de Præsidentis, nec non maioris Visitatorum partis consensu ad aliud Monasterium transmutari non possit: aut per breve tempus, octo videlicet, vel ad plus decem dierum differri. A decem verò diebus vsque ad unum mensem, nisi de Præsidentis omniumque Visitatorum consensu minimè differri possit: prædicti Capituli tempus, & hoc nisi ex urgentissima & ineuitabili causa.

4. Quod si aliqua rationabili causa Præsidentis & Visitatores prædicti, ipsius Capituli locum duxerint transmutandum vel prolongandum, congruo tempore omnibus Prælatibus Monasteriorum per literas significare nullatenus prætermittant.

5. Statuimus etiam, quoad expensas, quæ in Capitulo generali fient, omnia Monasteria, tam citra, quam ultra alpes, secundum eorum taxam contribuere teneantur.

De Publicatione, & Absolutione Capituli.

C A P. XXVII.

OMNIBVS quæ ad Generale Capitulum pertinent expeditis, omnes aduocentur tam de Capitulo quam Professi Monasterii, vbi Capitalum celebratur: publicentur